



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

78 Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

78 Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Job 41.

**Confusio
causa in-
terdum
emenda-
tionis.**

Confunduntur siue superbi homines, qui nos persequuntur, siue superbi spiritus, quorum caput, Rex super omnes filios superbiae à Scriptura vocatur, cum vident nos diuina protectione munitos à suis insidijs, & violentijs ereptos: & quamuis laboribus, & afflictionibus fatigatos in mandatis Dei diligentissime exerceri. Confunduntur enim, quod sua se videant spe frustratos, nec nos à Domino diuelli potuisse, quod maxime cupiebant. S. Ambrosius absurdum putans sanctum Dei hominem illis maledicere, qui in se iniqua gesserunt, confusionem hanc, quam precatur, non vindictam esse, sed doctrinam interpretatur, vt salutari, ac medicinali confusione corrigantur. Pudor enim plerumque, inquit, corrector est nostri. Et dum incipit nos pudere commissi, ne diutius pudeat, deserere, quae erubescenda sunt, admonemur. Non ergo maledicit Propheta, sed quasi bonus medicus vult illos cognoscere, quae fecerint. Ceterum si haecenus optetur ijs, oreturque confusio; vt, dum abducere nos à Deo conantur, constantia nostra refutentur, exituque fru-

stren-

strentur, benedictio potius videtur, quam
 maledictio. Expedi enim etiam impijs,
 quæ impiè moliantur, non assequi. Sed
 quouis modo accipiatur, certum est ver-
 bis illis. Ego autem exercebor in man-
 datis tuis, sancti viri constantiam quibus-
 cunque tandem aduersitatibus feriat, et
 immobilem egregiè denotari, tanquam
 dicat. Quicquid tandem illis eueniat,
 quicquid contra me struant, & fa-
 ciant, ego certè exercebor in mandatis
 tuis.

79 Conuertantur mihi timentes te; &
 qui nouerunt testimonia tua.

Sive mihi, siue ad me dicatur, (vtrumque
 enim verba Hebræa significare possunt)
 idem est. Sed, quoniam conuerti hoc loco
 tanquam ad exemplar, vel singularem
 benefactorem accipiendum putat S. Au-
 gustinus, negat id quemquam hominum
 dicere posse, aut audere, sed solum Chri-
 stum Dominum. Ipse est enim, ad quem *Sanctorum*
 conuertuntur timentes Deum. Ceterum, *exemplo*
 si facilius cum sancto Ambrosio intelli- *rum vis.*
 gamus, vt ad Dei seruum, Prophetæque
 doctrinam homines conuertantur, vt ex
 eius vita emendent suam, non est cur ve-
 reamur, quemlibet sanctum hominem id
 dicere posse: cum insignes viri Dei corre-
 ctione morum suorum, & sanctitate vitæ,